

mine, magister militum eius, ut fide & pietate & uirtute animi pollens, repente sic confortatus est, ut cum primis ducibus concurreret ad eam partem qua Barbari præliabantur. Quo facto, disrupta acies, & in fugam mox uertit inimicos. Fitque denuo ex hora miraculum. Turbo uentorum uehementis à parte Theodosij, in ora hostium pectoraque illis grauiter scutis euerberabat, nunc impressis pertinaciter obstricta claudebat, nunc aulisis uiolenter destituta nudabat, nunc oppositis iugiter in terga erudebat. Tela etiam quæ ipsi uehementer intollerant, excepta uentis, impetu supinato, ac retrosum coacto, in ipsos infeliciter confligebat: & ea quæ ab eius parte spicula erant missa, ultra mensuram humani iactus per magnum inanem portata, ualenter hostiisfigebat. Hoc itaque modo dimicacione consumpta, Tyrannus concurrens ad pedes Imperatoris exorabat promereri salutem. Qui circa pedes eius à militibus capite secatus est, xv. Calend. Octobris, consulatus Archadij anno tertio & Honorij secundo. Arbogastes autem tantorum causa malorum, post duos congressionis dies fuga lapsus cum cognouisset quia uiuere non posset, proprio gladio se perenit. Præmisserat denique prius Theodosius decem milia Gothorum auxiliatorum, quæ ab Arbogaste comite funditus deleta sunt. Quos utique Theodosio perdisse, magis lucrum, quam detrimentum fuit. Ad cuius laudem ob insignem uictoriæ poëta quidam nomine Claudianus, eximus sed paganus, inter cetera huiusmodi Deo & homini testimonium cecinit:

O nimium dilecte Deo, tibi militat æther,
Et coniurati ueniunt ad classica uenti.

Prodigiū Ea tempestate in orientis partibus, apud Palæstinam prouinciam in castello Emaus, natus est puer, perfectus, ab umbilico & sursum diuisus, ita ut haberet duo pectora, & duo capita, & unusquisque suos sensus: & unus edebat & bibebat, & alter non edebat: unus dormiebat & alter uigilabat, non nuncque insimul dormiebant. Insimul tamen ludebant ad alterutru, & flebat uterque, & percutiebat inuicem. Porro uixerunt annis fermè duobus. Et unus qui dem mortuus est, alter superuixit diebus quatuor. Igitur Theodosius Imperator post laborem publicum corpore fatigatus in ægritudinem incurrit, & sperans se ægritudine moriturum, potius de Rep. cogitabat, considerans quæ solent procuere hominibus Imperatore moriente. Filium itaque Honorium de Constantinopoli euocauit, & Imperatorem Romæ ordinavit.

Theodosij mors Cumque Honorius Mediolanum uenisset, Theodosius ex ægritudine relevatus, Circum de uictoria celebrabat, & ante prandium quidem spectaculum quasi sanus exhibuit, post prandium repente prægrauatus est, & ad spectaculum uenire non potuit. filium tamen ludis adesse præcepit. Superueniente uero nocte defunctus est. Cönsulatu Olibrii & Probini x vi Cal. Februarij. Anno Imperij decimo septimo, uero quinquagesimo. Huic fertur